



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 6. An votum fictum seu exteriùs factum sine animo vovendi, vel se
obligandi, peccatum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

intentionem, ultra quam non obligat, ex Deuter. 3 *Facies sicut promisisti. Domino, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Nam (ut ait S. Thom. 2. 2. q. ult. a. 4.) *Obligatio voti ex voluntate procedit. Nam vovere voluntatis est, ut Augustinus dicit: in tantum ergo fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas, & intentio voventis.* Si de intentione non constet, elicienda est ex conjecturis, ex materia, & praesertim ex fine, quem in voto spectavit; nam causa finalis, seu ratio vovendi est mensura rei volitae. Et si his inspectis adhuc dubium manet, votum explicandum est secundum communem, & usitam verborum, quibus usus est, acceptionem; nam quisque censetur velle facere, quod verbis in sensu usitato acceptis indicat. Quod si non recordetur verba, quibus usus est, eligi debet pars tutior. *Si dubitet, quo modo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat:* ait S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. ad 6.

Q. 6. *An votum fictum, seu exterius factum sine animo vovendi, vel se obligandi, peccatum est?*

Resp. Aff. Quia illa fictio, seu simulatio est mendacium aliquod, & vana usurpationis nominis Dei, continens irreverentiam con-

tra Deum. Seclusis autem contemptu, scandalo, injuria, non esse per se mortale docet Suarez: quia, inquit, velle præcisè proferre verba vovendi sine volitione vovendi, non est gravis irreverentia, ac injuria Dei; & fictio non est respectu Dei, sed tantum respectu hominum, quibus per illam potest fieri injuria levis. In votis tamen solemnibus, vel quæ fiunt in assumptione Statûs Religiosi docet, fictionem esse mortalem; quia in ea fit injuria gravis Religioni, & consequenter etiam Deo, & Ecclesiæ, & vix separari potest à gravissimo scandalo.

Q. 7. *Quot modis tollitur obligatio voti?*

Resp. Ex communi his. 1. Cessante causa finali, ob quam factum est; nam cessante causa cessat effectus. Cap. 60. de appellat. Seu cessante causa finali deficit intentio voventis, utpote deficiente proprio, ac principali motivo: & vovens non censetur voluisse promittere, & se obligare, illa cessante. Ut si jejunium per mensem voveris ad obtinendam sanitatem Patris, si hic moriatur, desinis obligari.

2. Materiæ desitione, vel mutatione notabili, ut si res promissa, antea honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumstantiæ,

aut